

cerat; perfecitque opus suum die sexto; & sic deinde die septimo requievit ab omni opere; idest cessavit novam creaturam facere. Sex enim diebus sex rerum genera distinxit, nihilque postea fecit quod in aliquo illorum non contineatur. Operatus est tamen postea, sicut Veritas in Evangelio (Joan. v. 17.) ait: „Pater meus operatur usque nunc, & ego operor (3) illud.“

De quatuor modis divinae operationis.

Quatuor enim modis, ut ait (a) Alcuinus super Gen. cap. 1. operatur Deus. Primo in Verbo omnia disponendo. Secundo in materia informi quatuor elementorum, de nihilo eam creando: unde (Eccl. xviii. 1.) „Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul: omnia scilicet elementa, vel omnia corpora materialiter simul creavit. Tertio per opera sex dierum varias distinxit creaturas. Quarto ex primordialibus seminibus non incognite oriuntur naturae, sed notae saepius reformantur, ne pereant.

DIVISIO TEXTUS.

IN parte praecedenti determinavit Magister (4) de natura pure corporali, quantum pertinent ad Theologi considerationem, scilicet secundum quod a Deo in operibus sex dierum primitus instituta est. Dividitur autem in partes tres. In prima determinat institutionem corporalis naturae, quantum ad opus creationis; in secunda quantum ad opus distinctionis xiiii. dist. ibi: (5) *Prima autem distinctio operatio fuit formatio lucis*; in tertia quantum ad opus ornatus, xiv. dist. ibi: *Sequitur: Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli*. Prima in duas. In prima determinat de opere creationis secundum se; in secunda per comparationem ad alia opera, ibi: *Nunc superest ut dispositionem illam qua iter perfecta sit, ordine prosequamur*. Prima in duas. In prima ponit diversas opiniones de opere creationis; in secunda sequitur propositum secundum alteram illarum, ibi: *Secundum hanc itaque traditionem ordinem atque modum creationis, formationisque rerum inspicimus*. Circa primum duo facit. Primo dicit de quo est intentio, & tangit opinionem diversitatem; secundo explicat eas, ibi: *Quidam namque sanctorum patrum... super hoc quasi adversa scripsisse videntur*.

Secundum hanc utique traditionem ordinem, atque modum creationis, formationisque rerum inspicimus. Hic prosequitur opus creationis secundum alteram dictarum opinionum; & circa hoc duo facit. Primo manifestat creationem materiae primo creatae quantum ad nomen quo in Scripturis nominatur; secundo quantum ad ipsius conditionem, ibi: *De qua prius quam tractemus, duo nobis discutienda occurrunt*.

Circa primum duo facit. Primo manifestat propositum; secundo dubitationem excludit, ibi: *Attende, quod hic dicit Augustinus, tenebras non esse aliquid*.

De qua prius quam tractemus, duo nobis discutienda sunt. Hic ostendit materiae primo creatae conditionem; & primo quantum ad formam; secundo quantum ad locum, ibi: (6) *Nunc superest quod secundo proponatur, explicare*.

Nunc superest ut dispositionem illam qualiter perfecta sit, ordine prosequamur. Hic determinat de opere creationis per comparationem ad alia opera, & circa hoc duo facit. Primo ponit operis universalitatem; secundo ponit divinorum operum distinctionem, ibi: *Quatuor enim modis... operatur Deus*.

(3) *Vulgata omittit illud.* (4) *Forte supplendum de natura pure spirituali; in parte ista determinat de natura corporali &c.* (5) *Al. Hierarchiarum distinctionis &c.* (6) *Al. Quia secundo &c.*

Ex EDRIT. P. NICOL. (a) An in Lib. super Gen. cuius in recensendis illius operibus editis Trithemius meminuit? Sed iam inter illa non extat, nec proinde a Possevino in Apparatu sacro recensetur. Nonnullae tantum in Genesis interrogationes reliquae sunt; in quibus nihil tale quam quod hic indicatur.

QUAESTIO I.

Circa partem istam quinque quaeruntur. Primo. Utrum omnium corporalium sit una materia.

Secundo. Utrum omnia corpora sint simul creata in speciebus suis distincta.

Tertio. Si simul distinctionem receperunt, quomodo accipiendi sunt dies qui in principio Genesis numerantur.

Quarto. Si non simul distincta sunt, qualis fuit illa informis materia.

Quinto. De numero quatuor coaevalorum.

ARTICULUS I.

Utrum omnium corporalium sit eadem materia.

I. P. quaest. lxxvi. art. 2. & opus. ix. cap. xxxiv. & II. contra Gent. cap. xxvi.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod omnium corporalium sit materia una. Quorumcumque enim est forma unius rationis, eorum est una materia communis, eo quod proprius actus in propria potentia fit, ut dicit Philosophus (II. de Anim. text. xxvi.) Sed forma corporeitatis est unius rationis in omnibus corporibus. Ergo videtur quod una materia sit superiorum, & inferiorum corporum.

2. Praeterea. In littera dicitur, quod ex materia informi primo creata omnia corpora, in formas distinctas formata sunt per opus distinctionis, & ornatus. Ergo omnium corporum est una materia.

3. Praeterea. Quorumcumque est resolutio actu, vel intellectu in unum & idem sicut in subjectum primum, eorum est materia una. Sed omnia corpora sunt huiusmodi. Ergo &c. Probatio mediae. Illud in quo stat ultima resolutio omnium, est simplex materia sine aliqua forma: quia quamdiu invenitur aliqua forma in materia, contingit ulterius resolvere. Sed in materia quae est sine omni forma, non est aliqua diversitas: quia principium distinctionis materiae est ex parte formae. Ergo omnium corporum resolutio stat in uno ultimo.

4. Praeterea. Philosophus in I. Phys. (text. lxxix. & lxxx.) usam tantum materiam primam ponit. Cum ergo in illo Lib. de mobili in communi determinetur, videtur quod omnium corporum mobilem sit una materia.

5. Prae-

QUAESTIO I.

5. Praeterea. Secundum Philosophum in II. Metaph. (text. xi.) necesse est imaginari materiam in remota. Ergo quaecumque conveniunt in aliquo motu, videntur in materia convenire. Sed loci mutatio communis est superioribus, & inferioribus corporibus. Ergo & materia.

Sed contra. Quorumcumque non est una potentia, nec una materia: quia sicut forma est actus, ita materia est potentia. Sed corporum inferiorum, & superiorum non est potentia eadem: quia secundum Philosophum in XI. Metaph. (text. v. & in VIII. text. iv.) in inferioribus est potentia ad esse, sed in superioribus tantum ad ubi. Ergo videtur quod non eorum tantum sit una materia.

Praeterea. In quocumque invenitur aliquid, oportet invenire illud a quo numquam separatur. Sed materia prima, quae est in inferioribus, numquam separatur a privatione formae, quia quodcumque est sub forma una, adiungitur sibi privatio formae alterius; privatio autem adjuncta materiae, inducit corruptibilitatem. Ergo videtur quod materia prima inferiorum corporum non invenitur in corporibus caelestibus per suam naturam incorruptibilitatem.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod super hoc invenitur duplex Philosophorum opinio, quarum utraque sectatores habet. Avicenna enim (Suff. Lib. I. cap. 111. circ. med.) videtur ponere unam materiam esse omnium corporum, argumentum ex ratione corporeitatis assumens, quae cum sit unius rationis, una sibi materia debetur. Hanc autem positionem Commentator improbare intendit in princip. Caeli & Mundi & in pluribus aliis locis, ex eo quod cum materia, quantum in se est, sit in potentia ad omnes formas, nec possit esse sub pluribus simul, oportet quod secundum quod est sub una, inveniat in potentia ad alias. Nulla autem potentia passiva invenitur in natura cui non respondeat aliqua potentia activa, potens eam in actu reducere; alias talis potentia frustra esset. Unde cum non inveniat in aliqua potentia naturalis activa quae substantiam caeli in actum alterius formae reducat, quia non habet contrarium, sicut motus ostendit, quia motui naturali eius, scilicet circulari, non est aliquid contrarium, ut dicitur in I. Caeli & Mundi (text. xx.) oportet quod in ipso nihil inveniat de materia prima inferiorum corporum. Nec potest dici, quod materiae prout est sub forma caeli, tota potentia terminetur, ita quod nihil remaneat in eadem potentia ad aliam formam: non enim terminatur potentia, nisi per (1) ademptionem formae, ad quam erat in potentia: unde cum materia prima secundum se considerata sit in potentia ad omnes formas naturales, non poterit tota eius potentia terminari nisi per (2) ademptionem omnium formarum. Non enim una forma recepta in materia (etiam si sit nobilior, & magis perfecta) tollit potentiam ad formam aliam minus nobilem, materia enim sub forma ignis existens, adhuc remanet in potentia ad formam terrae. Unde etsi forma caeli sit nobilissima, nihilominus tamen recepta in materia prima, non terminabit totam potentiam eius, nisi simul cum ipsa recipiantur omnes aliae formae, quod est impossibile. Et praeterea si poneretur quod forma caeli per suam perfectionem, totam materiae potentiam terminaret, adhuc oporteret quod materia stans sub forma elementari, esset in poten-

In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. ademptionem. (2) Al. adoptionem.

tia ad formam caeli, & reduceretur in actum per actionem virtutis caelestis; & ita caelum esset generabile, & corruptibile. Et ideo ipse vult, quod nullo modo in materia conveniant superiora, & inferiora corpora: & hoc videtur probabilius, & magis consonum dictis Philosophi (XII. Metaph. text. x.) Nec dico, sicut quidam dicunt, quod conveniunt in materia, si sumatur pro fundamento primo, quod nec est album, nec est nigrum, ut dicitur in I. Metaph. (text. xvi.) sed differunt in materia, secundum quod materia determinatur per motum: diversitas enim motus est signum diversitatis materiae, & non causa, sed e converso: quia motus est actus existentis in potentia: unde oportet quod ubi invenitur una materia per essentiam, inveniat potentia respectu ejusdem motus, secundum quod materia est in potentia ad plura.

Ad primum ergo dicendum, quod corporeitas secundum intentionem logicam univoce in omnibus corporibus invenitur, sed secundum esse considerata, non potest esse unius rationis in re corruptibili, & incorruptibili: quia non similiter se habent in potentia essendi, cum unum sit possibile ad esse, & ad non esse, & alterum non: & per modum istum dicit Philosophus in X. Metaph. (text. xxvii.) quod de corruptibili, & incorruptibili nihil commune dicitur, nisi communitate nominis; & per hoc Commentator ibidem hanc rationem solvit.

Ad secundum dicendum, quod sicut omnes res, prout modo sunt in suo complemento, dicuntur unus mundus, vel unum universum; ita etiam, prout erant informes ex defectu ultimi complementi, dicebantur una materia informis; non quidem per continuitatem, tamquam omnia ex una materia numero facta sint.

Ad tertium dicendum, quod secundum Avicennam (Suff. Lib. II. cap. lxxxii.) non est quaerenda differentia per aliquos actus, nisi in illis que in una potentia conveniunt: species enim quae conveniunt in una potentia generis, distinguuntur specificis differentis; sed ipsae differentiae quae non conveniunt in genere, sic quod genus sit pars essentiae earum, seipsis distinguuntur: similiter etiam genera generalissima non dividuntur aliquibus differentis, sed seipsis: similiter etiam composita quae conveniunt in materia distinguuntur per formas diversas; sed diversae materiae seipsis distinguuntur secundum analogiam ad diversos actus, prout in eis diversa ratio possibilitatis invenitur.

Ad quartum dicendum, quod Philosophus in Libris Phys. nondum probaverat esse quintam essentiam, quod in principio Caeli & mundi demonstrat; & ideo in Libris Phys. nihil determinat de his quae sunt propria illi essentiae, propter quod etiam tractatum de infinito replicat, ut Commentator in I. Caeli & mundi recitat.

Ad quintum dicendum, quod sicut in I. de gener. (cap. 111. post med.) dicitur, materia est immediate subjectum generationis, & corruptionis; aliorum autem motuum per prius & posterius, tanto plus, quanto illud secundum quod est mutatio, majorem perfectionem motus presupponit: & ideo in illis tantum est unitas materiae primae quae in generatione, & corruptione conveniunt, & per consequens etiam illa quae conveniunt in tribus motibus, scilicet augmento, & diminutione, & alteratione, secundum quod augmentum, & diminutio non est sine generatione, &

P 2

corruptione, quæ etiam alterationis terminus est. Sed loci mutatio, ut in VIII. Phys. probatur, est maxime perfecta, quia nihil variat de eo quod est intraneum rei: unde subiectum huius motus, est ens completum in esse primo, & in omnibus proprietatibus intraneis rei; & talis motus convenit corpori cælesti; & ideo materia ejus est sicut subiectum completum in ipsis inferioribus, ut dicit Commentator in Lib. de substantia orbis: unde remanet communitas materiæ secundum analogiam tantum.

ARTICULUS II.

Utrum omnia sint creata simul, & distincta per species.

1. **A**d secundum sic proceditur. Videtur quod omnia sint simul creata, & distincta per species. Primo per hoc quod habetur Eccles. XVIII. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.*
2. Præterea. Magis distat spiritualis, & corporalis creatura, quam duæ corporales. Sed spiritualis, & corporalis simul facta esse ponuntur. Ergo multo fortius omnes corporales.
3. Præterea. Ut dicitur Deut. XXXI. 4. *Dei perfecta sunt opera:* nec potest esse ratio quare perfectio ad tempus differretur, quam creatura per se consequi non poterat, nec ab alio nisi à Deo. Cum ergo creaturæ secundum suas perfectiones in species distinguantur, videtur quod à principio sub distinctione specierum creata sint omnia.
4. Præterea. Opus creationis divinam potentiam manifestat. Sed potentiam agentis minus demonstrat effectus successive completus quam subito in sua perfectione productus. Ergo videtur quod à principio omnia simul distincta sint. (1)
5. Præterea. Constat quod Deus totum opus unius diei in uno momento produxit. Ergo videtur ridiculum dicere, quod in toto die ab operando cessaverit usque ad principium alterius diei, quasi ex opere lassatus. Ergo videtur quod non per successiones dierum, creaturæ distinctæ sint, sed à principio creationis.
6. Præterea. Partes universi dependent ab invicem, & præcipue inferiores à superioribus. Sed eorum quæ dependent ab invicem, unum non est sine altero. Ergo videtur inconveniens dici, quod primo fuerit aqua, & terra, & postmodum stellæ factæ sint.
7. Sed contra. Augustinus dicit super Gens. (ad litteram Lib. II. cap. v.) quod major est huius Scripturæ auctoritas quæ habetur in principio Genesis, quam omnis humani ingenii perspicacitas. Sed ibi scriptum est, per senarium dierum creaturas distinctas esse. Ergo videtur quod ita necessarium sit ponere.
8. Præterea. Natura imitatur operationem Creatoris. Sed in operatione naturali est processus de imperfecto ad perfectum. Ergo videtur quod etiam in operatione Creatoris; & ita videtur quod non omnia simul distincta sint in ipso creationis principio.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quæ ad fidem perti-

(1) *Al. additur creata. (2) Al. Gregorius.*

Ex Edit. P. NICOL. (a) Sic enim Ambrosius in Hexameron Lib. I. cap. VII. & IX. Basilius in Hexameron homil. 11. Chrysostomus etiam hom. 11. in Gen. &c. Gregorius Lib. XXXII. Moral. cap. VII. *Quoad Gregorinum jam notaverat ad marginem editio Veneta an. 1563.*

nent, dupliciter distinguuntur. Quædam enim sunt per se de substantia fidei, ut Deum esse trinum, & unum, & huiusmodi: in quibus nulli licet aliter opinari: unde Apostolus ad Gal. 1. dicit, quod si Angelus Dei aliter evangelizaverit quam ipse docuerat, anathema sit. Quædam vero per accidens tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu Sancto dicente promulgatam esse: quæ quidem ignorari sine periculo possunt ab his qui Scripturas scire non tenentur, sicut multa historialia: & in his etiam sancti diversa senserunt, Scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo circa mundi principium aliquid est quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incepisse creatum; & hoc omnes sancti concorditer dicunt. Quo autem modo, & ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cujus veritatem diversa expositione sancti salvantes, diversa tradiderunt. Augustinus enim vult (Lib. I. super Gen. cap. v. & Lib. XI. de Civit. Dei cap. IX.) in ipso creationis principio quasdam res per species suas distinctas fuisse in natura propria, ut elementa, corpora cælestia, & substantias spirituales; alia vero in rationibus seminalibus tantum, ut animalia, plantas, & homines, quæ omnia postmodum in naturalis propriis producta sunt in illo opere quo post senarium dierum illorum Deus naturam prius conditam administrat: de quo opere Joan. v. 17. dicitur: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor:* nec in distinctione rerum attendendum esse ordinem temporis, sed naturæ, & doctrinæ. Naturæ, sicut sonus præcedit naturam naturam, sed non tempore, & ita quæ naturaliter priora sunt, prius facta memorantur, sicut terra prius quam animalia, & aqua prius quam pisces, & sic de aliis. Doctrinæ vero ordine, sicut patet in docentibus geometriam: quamvis enim partes figuræ sine ordine temporis figuram constituent, tamen geometria docet constitutionem fieri protrahendo lineam post lineam: & hoc fuit exemplum Platonis, ut dicitur in principio Cæli, & mundi etiam & Moyses rudem populum de creatione mundi instruens, per partes divisit quæ simul facta sunt. (2) Ambrosius vero (Lib. I. Hexameron cap. VII.) & (a) alii sancti ponunt ordinem temporis in distinctione rerum servatum: & hæc quidem positio est communior, & magis consona videtur litteræ quantum ad superficiem; sed prior est rationabilior, & magis ab irrisione infidelium sacram Scripturam defendens: quod valde observandum docet Augustinus super Gens. (ad lit.) Lib. I. (cap. XIX.) ut sic Scripturæ exponantur, quod ab infidelibus non irrideantur: & hæc opinio plus mihi placet; tamen utramque sustinendo, ad omnia argumenta respondendum est.

Ad primum ergo dicendum est, quod secundum Gregorium (loc. cit.) dicuntur omnia simul creata per substantiam materiæ, & non per speciem formæ; vel etiam in sui similitudine, sicut anima quæ rationalis quæ Angelis similis est, non ex materia propaganda.

Ad secundum dicendum, quod corporalia omnia communicant in materia, sive sit una, sive plures: & quia materia non præcedit compositum, ideo ut ordo temporis ordini naturæ responderet, prius facta est materia corporalis, & deinde per formas distinct-

tinctæ. Non autem corporalis natura ex spiritali producit vel sicut ex materia, vel sicut ex efficiente: & ideo non essimili ratio.

Ad tertium dicendum, quod sicut creatura non habet esse ex se, ita nec perfectionem: & ideo ad utrumque ostendendum, voluit Deus ut creatura prius non esset, & postmodum esset, & similiter trius esset imperfecta, & postmodum perfecta.

Ad quartum dicendum, quod in creatione non tantum debet ostendi potentie virtus, sed etiam sapientie ordo, ut quæ prius natura sunt, prius etiam instituantur.

Ad quintum dicendum, quod ad ostendendum diversam distinctorum naturam, voluit Deus ut unicuique rerum distinctioni dies unus responderet, & non ex aliqua necessitate, vel lassitudine agentis.

Ad sextum dicendum, quod non est eadem natura rei jam perfectæ, & prout est in suo fieri: & ideo quamvis natura mundi completi hoc exigit, ut omnes partes essentielles universi sint simul, potuit tamen aliter esse ab ipsa mundi factione; sicut in homine perfecto non potest cor esse sine aliis partibus, & tamen in formatione embrionis, cor ante omnia membra generatur.

Ad septimum dicendum, quod auctoritati Scripturæ in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salvata tamen fide: quia majori veritate eam Spiritus Sanctus fecundavit quam aliquis homo advenire possit.

Ad octavum dicendum, quod hoc est ex imperfectione creaturæ quod ex imperfecto ad perfectionem operando venit; quæ proculdubio ultimam perfectionem daret, quantumcumque posset, servata tamen operis conditione: & ideo non oportet quod in hoc, divinum opus operationi creaturæ sit simile.

ARTICULUS III.

Utrum distinctio dierum salvetur secundum expositionem Augustini.

1. **A**d tertium sic proceditur. Videtur quod secundum expositionem Augustini, super Gen. ad lit. Lib. I. cap. III. & IV. dierum distinctio non salvetur. Dies enim nominat quoddam tempus. Sed in rerum formatione, secundum Augustinum, non fuit successio temporis. Ergo nec salvata est distinctio eorum.
2. Præterea. Cum dies ponat illuminationem quamdam, oportet quod dies intelligantur vel secundum illuminationem lucis corporalis, vel intellectuales. Sed non secundum lucem corporalem, quia hoc non facit dies nisi in pluribus revolutionibus, quæ successione temporum complentur: nec iterum secundum lucem intellectualem, quia lux intellectualis creata non influit per modum irradiationis ad creationem rerum; sed ratio diei requirit irradiationem aliquam. Ergo videtur quod dies illi non convenienter assignentur.
3. Præterea. In illuminatione spiritali non est invenire diversas partes. Sed diei assignantur diversæ partes, scilicet mane, & vespere. Ergo videtur quod non possint intelligi dies illi secundum illuminationem lucis spiritalis.
4. Si dicatur, quod mane huius diei est secundum cognitionem rerum in Verbo, vespere autem secundum cognitionem rerum in propria natura; contra. Quia in illo dicitur res cognosci à quo similitudo rei accipitur. Sed Angeli non habent rerum cognitio-

nem per similitudines à rebus acceptas, sed per species à Verbo in eorum mentem influxas. Ergo tantum in Verbo cognoscunt res creatas, & non in propria natura; & sic habent tantum mane, non vespere.

5. Præterea. Ubi quæ est res, ibi potest cognosci. Sed res creata habet triplex esse, scilicet in Verbo, & in mente Angeli, & in propria natura, quod significatur secundum Augustinum super Gen. (ad lit. Lib. II. cap. VII.) per hoc quod dicit, *Fiat quantum ad esse rei in Verbo, Factum est quantum ad esse rei in mente Angeli, Fecit quantum ad esse rei in propria natura.* Ergo huius diei debent tres partes assignari.

6. Præterea. Sicut quilibet dies usitatus habet, vespere, & mane, ita & meridiem. Ergo sicut assignatur cognitio matutina, & vespertina, ita & meridiana.

7. Præterea. Omnes dies debent esse uniformes. Sed primæ diei non assignatur mane: quia mane quod post vespere ponitur, non potest esse mane à quo incipit primus dies, sed in quod terminatur: septima autem dies ponitur habere mane, ad quod terminatur sexta dies, & non vespere. Ergo nec aliis diebus mane simul, & vespere assignari debent.

8. Præterea. De vespere in mane non transitur nisi per noctem. Sed de nocte nulla fit mentio. Ergo insufficienter traditur dierum ordo.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, secundum Augustinum, illi sex dies sunt unus dies, sex rerum distinctionibus, secundum quas numeratur simul præsentatus: sicut etiam unum Verbum est quod omnia facta sunt, scilicet Dei Filius; quamvis frequenter legatur: *Dixit Deus:* & sicut illa opera salvantur in omnibus sequentibus quæ ex eis propagantur operatione naturæ, ita etiam illi sex dies manent in tota successione temporis.

Quomodo autem hoc sit, videndum est. Natura angelica intellectualis est, & lux est; & si proprie lux est, oportet quod ejus illustratio dies dicatur. Angelica autem natura in principio conditionis rerum conditionem earum accepit; & sic quodammodo lux intellectus ejus rebus creatis præsentabatur, in quantum cognoscebantur: unde ipsa cognitio rerum, dies dicitur; & secundum diversa genera cognitorum, & ordinem distinguuntur, & ordinantur dies, ut in primo die intelligatur formatio spiritalis creaturæ per conversionem ad Verbum; in secundo die formatio corporalis creaturæ quantum ad superiorem partem, quæ firmamentum dicitur; in tertia quantum ad inferiorem partem, scilicet terræ, aquæ, & aeris vicini; in quarta superior pars, scilicet firmamentum ornatum; in quinta inferior quantum ad terram. Cum autem Deus sit lux plena, & tenebræ in eo non sint ullæ, I. Joan. 1. cognitio ipsius Dei in se est plena lux; sed quia creatura ex hoc quod ex nihilo est, tenebras possibilitatis, & imperfectionis habet, ideo cognitio qua creatura cognoscitur, tenebris admixta est. Potest autem cognosci dupliciter. Vel in Verbo secundum quod exit ab arte divina; & sic ejus cognitio matutina dicitur: quia sicut mane est finis tenebrarum, & principium lucis; ita creatura à Verbo etiam principium lucis sumit postquam prius non fuerat. Cognoscitur etiam prout est in natura propria existens; & talis cognitio dicitur vespertina propter hoc quod sicut vespere est terminus lucis, & tendit in noctem; ita & creatura in se sub-

subsistens, est terminus operationis Verbi, quasi facta per Verbum, & de se in tenebrosos defectus tendens, nisi Verbo portaretur. Nihilominus hæc cognitio dies dicitur, quia sicut in comparatione ad cognitionem Verbi tenebrosa est, ita est lux in comparatione ad ignorantiam, quæ omnino tenebra est; sicut vita iustorum præsens, caliginosa dicitur respectu futuræ gloriæ, quæ tamen lux est in comparatione ad vitam peccatorum: & sic attenditur quædam circulatio inter mane & vespere, secundum quod Angelus seipsum cognoscens in propria natura, hanc cognitionem retulit ad Verbum sicut ad finem, in quo sequentis operis cognitionem sumpsit sicut in principio: & sic huiusmodi mane est finis diei præcedentis, & principium sequentis. Et hæc quidem expositio subtilis, & congrua est, dummodo lux, & dies proprie in spiritualibus dicantur, & non metaphoricè, ut Augustinus vult super Genes. ad lit. Lib. IV. cap. XXI. aliter enim esset expositio mystica, & non litteralis.

Sed quia à pluribus negatur, ideo sustinentes cum Augustino quod omnia sunt simul creata, & in species distincta, possumus dicere, quod dies accipiuntur secundum illustrationem lucis corporalis; ita tamen quod ordo dierum attendatur secundum ordinem eorum, & distinctionem, in quæ lux corporalis refulget: sicut enim omnium creaturarum naturalium cognitionem Angeli acceperunt, ita etiam lux in omnia corporalia se diffundit, ut Dionysius dicit (iv. cap. de divin. Nomin.) diversimode in diversis recepta, secundum diversitatem recipientium: & ideo, sicut Augustinus distinguit sex dies secundum præsentationem lucis spiritualis, quæ primo die facta dicitur, sex rerum generibus; ita secundum præsentationem lucis corporalis sex rerum generibus possunt eodem modo sex dies distingui sine distinctione temporis. Et quia periodus unicuique rei corporali secundum influentiam lucis præfiguratur, quasi inter duos terminos, cum quælibet virtus corporalis finita sit, ideo illi termini mane, & vespere dicuntur, ultra quos virtus rei non extenditur.

Ad primum ergo dicendum, quod dies etiam est pars temporis, & lucis effectus. Distinctio ergo primorum dierum non sumitur ex parte temporis, sed ex parte lucis, secundum quod diversa per lucem declarantur, vel quantum ad cognitionem angelicam, vel quantum ad influentiam lucis corporalis in diversa.

Ad secundum dicendum, quod lux illa & corporalis, & spiritualis potest intelligi: & si intelligatur corporalis, dies distinguetur secundum diversa illuminata, & non secundum illuminationis tempus; si autem intelligatur spiritualis, non est per influentiam lucis ad res creandas, sed per fulgorem lucis ad res cognoscendas.

Ad tertium dicendum, quod partes diei secundum lucem spirituales non sunt secundum diversa cognita, sed secundum diversos modos cognitionis ejusdem rei: & sicut dies non sunt successivi, quia Angelus in Verbo simul diversa genera rerum intuetur: ita nec partes diei unius: quia simul videt in Verbo creaturas, & in propria natura.

Ad quartum dicendum, quod non dicitur cognitio vespertina, quæ est ferum in propria natura, ex eo quod ab ipsis rebus species sumant per quas cognoscant; sed quia per species quas à creatione receperunt, res cognoscunt, prout in propria natura subsistunt.

Ad quintum dicendum, quod species rerum pri-

um habent esse in arte divina, quæ est Verbum: quod esse significatur cum dicitur: *Dixit Deus, Fiat*; id est, Verbum genuit, in quo erat ut fieret. Secundum esse habent in intelligentia angelica: quod significatur in hoc quod dicitur, *Factum est*, per influentiam Verbi. Tertium esse habent in rebus: quod significatur in hoc quod dicitur, *Fecit*. Et ideo ista triplex distinctio non ponitur in productione lucis spiritualis, nec in formatione hominis, qui etiam intellectualis ponitur. Et sic etiam Angelus triplicem de rebus cognitionem habet, scilicet prout in Verbo sunt, prout sunt in mente ejus, & prout sunt in propria natura. Quamvis autem nunquam cognoscat res in propria natura nisi per species, quas habet apud se; tamen differt cognitio qua cognoscit prout sunt in seipso, & prout sunt in propria natura: potest enim intellectus converti ad speciem quam apud se habet, dupliciter: aut considerando ipsam, secundum quod est ens quoddam in intellectu; & sic cognoscit de ea quod est intelligibile, vel universale, vel aliquid huiusmodi: aut secundum quod est similitudo rei; & sic intellectus consideratio non sinit in specie, sed per speciem transit in rem, cuius similitudo est; sicut oculus per speciem quæ est in pupilla, videt lapidem: & est simile de imagine lapidea, quæ potest considerari secundum quod est res quædam, vel similitudo rei. Et ita patet quod duæ cognitiones dictæ differunt; sed utraque est vespertina: quia etiam esse ipsum intellectus Angeli, creatura est, & in tenebrosos defectus tendens, quantum in se est.

Ad sextum dicendum, quod cognitio meridiana non potest esse cognitio creaturæ cui defectibilitatis tenebra admixta est, sed cognitio ipsius Dei, qui est plena lux; & ideo in operibus creationis meridiæ dies non nominatur.

Ad septimum dicendum, quod in prima die secundum Augustinum (I. super Gen. ad lit. cap. ix. & Lib. IV. cap. XXI.) formatio narratur ipsius intellectualis naturæ, cuius cognitio, esse ejus in propria natura naturaliter sequitur: & ideo sui ipsius cognitionem matutinam non habet, sed vespertinam. Similiter & septima dies pertinet ad quietem Dei in seipso ex omnibus operibus quæ propter se fecit: & hæc quies nullo defectu clauditur, & propter hoc in die illa vespere non nominatur.

Ad octavum dicendum, quod si Angelus, cognitione creaturæ accepta, eam in laudem Creatoris non referret, in ipsa creatura sistens, nox in eo fieret: hoc enim esset perverse frui creatura; hoc autem non convenit beatis Angelis, qui per lucem significantur: & ideo in illo dierum senario nox non commemoratur. Vel potest dici secundum aliam viam, quod mane, & vespere ponuntur, quia sunt principia diei, & noctis. Ibi autem ostenditur institutio principiorum naturæ, ex quibus omnia propagata sunt, & ideo ponuntur extrema, relictis mediis.

ARTICULUS IV.

Utrum prima materia fuerit informis.

I. P. quæst. cxvi. art. 5.

1. AD quartum sic proceditur. Videtur quod prima materia informis erat. Illa enim materia communis erat omnibus elementis, quia ex illa omnia facta sunt. Sed elementa non conveniunt nisi in materia informi. Ergo prima materia omnino informis erat.

Præ-

2. Præterea. Augustinus dicit in Lib. Confes. XII. cap. 111. ad Deum loquens: *Docuisti, Domine, famulum tuum, quod prius quam ista faceres, non aliquid erat, nec species, nec color &c. nec tamen omnino nihil erat, quia informitas quædam erat. Ergo prima materia omnino forma carebat.*

3. Præterea. Si illa materia formam aliquam habebat, aut habebat formam corporis mixti, aut corporis simplicis. Sed non corporis mixti, quia sic esset mixtum prius corporibus simplicibus, quod esset consonum positioni Anaxagoræ. Ergo oportet quod haberet formam corporis simplicis; & sic redibit opinio antiquorum Naturalium, qui ponebant unum elementum omnium, vel ignem, vel aquam, vel aerem.

4. Si dicatur, quod non habebat aliquam harum formarum, sed aliam; contra. Omne quod generatur, generatur ex suo contrario. Sed ex ista prima materia existente sub forma corporali, facta sunt elementa. Ergo oportet quod habuerit contrarietatem ad elementa quæ ex ea facta sunt. Sed contrarietas primorum corporum non potest extendi ultra quaternarium numerum, ut in II. de gener. probatur. Ergo oportuit materiam illam esse sub forma alicujus quatuor elementorum, si fuit sub forma aliqua corporali; & ita unum tantum esset elementum primum: quod improbat Philosophus. Oportuit ergo quod materia illa omnino fuerit informis.

Sed contra. Omne esse est à forma. Si ergo materia prima fuit ante rerum distinctionem, oportet quod formam aliquam habuerit.

Præterea. Sicut se habet corpus naturale ad diversas figuras, ita se habet materia prima ad formas substantiales. Sed impossibile est esse aliquod corpus absque omni figura. Ergo impossibile est esse materiam absque omni forma.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod materia prima dicitur dupliciter: vel ita quod primum importet ordinem naturæ; vel ita quod importet ordinem temporis. Secundum quod importat ordinem naturæ, materia prima est illud in quo ultimo stat resolutio corporum naturalium, quod oportet esse absque omni forma: quia omne subiectum quod habet formam, est divisibile in formam, & subiectum formæ: & ideo quia omnis cognitio est per formam, hæc materia prima est scibilis, ut dicit Philosophus in I. Phys. text. LXIX. secundum analogiam tantum, prout dicimus illud esse materiam primam quod ita se habet ad omnia corpora, sicut se habet lignum ad lectum; & quamvis materia prima sic accepta, non habeat aliquam formam partem essentia suæ, nunquam tamen dividitur ab omni forma, ut probat Avicenna in sua Metaph. tract. II. cap. 111. immo quando amittit unam formam, acquirit aliam, secundum quod corruptio unius est generatio alterius: & ideo materia prima sic accepta, non potuit esse duratione ante corpora ex ea formata. Alio modo dicitur materia prima secundum quod primum importat ordinem temporis, illud scilicet quod duratione præcessit ordinatam dispositionem partium mundi, qualis nunc cernitur, secundum eos qui ponunt mundum non semper fuisse, nec à principio creationis omnia distincta fore: & sic accipien-

do primam materiam, oportuit eam habere aliquam formam.

Sed circa hoc antiqui Philosophi (1) diversificati sunt. Quidam enim posuerunt eam esse totam sub una forma, ponentes unum elementorum omnium primam materiam esse, vel aliquid inter ea: & ex isto omnia generari constituunt densitate, & raritate. Alii vero posuerunt eam sub pluribus formis, non tamen ordinatis ad invicem, sed quadam confusione permixtis, quæ Creatoris operatione ad ordinem, & distinctionem reductæ sunt: & hoc tamen diversimode posuerunt, ut Philosophus narrat, I. Physic. text. XXXI. usque ad XLIV. quod ad præsens non pertinet. Et hæc omnes positiones à Philosopho sufficienter improbatæ sunt.

Moderni etiam in has duas vias dividuntur. Quidam enim ponunt materiam illam primam totam sub una forma creatam; sed ne in antiquum errorem labi videantur, ponunt illam formam non esse unum quatuor elementorum, sed aliquid quod se habet in via ad ea, ut imperfectum ad perfectum, sicut forma embrionis se habet ad animal completum. Sed hoc non potest similiter dici in elementis: quia secundum Commentatorem XI. Metaph. prima habitus quæ est in materia, est ad formam elementis. Unde non invenitur aliqua forma media inter materiam primam & formam elementi, sicut inveniuntur multa media inter materiam primam & formam animalis; quarum una alteri succedit, quousque ad ultimam perfectionem veniatur, intermediis multis generationibus, & corruptionibus, ut Avicenna dicit. Et præterea, cum tunc naturalia principia instituta fuerint, oporteret etiam nunc in naturali elementorum generatione advertere aliam formam ante formam elementi; quod est contra sensum: nisi forte dicatur secundum positionem Libri fontis vitæ, (a) esse unam primam formam; & sic in materia primo inductam fore formam corporalem communem, & postmodum formas speciales distinctas.

Sed hanc positionem Avicenna improbat, quia omnis forma substantialis dat esse completum in genere substantiæ. Quidquid autem advenit postquam res est in actu, est accidens: est enim in subiecto quod dicitur ens in se completum. Unde oporteret omnes alias formas naturales esse accidentia; & sic rediret antiquus error, quod generatio esset idem quod alteratio. Unde ipse vult quod ab eadem forma per essentiam, ignis sit ignis, & corpus, & substantia.

Et ideo tenendo viam aliorum sanctorum, qui ponunt successionem in operibus sex dierum, videtur mihi dicendum, quod prima materia fuit creata sub pluribus formis substantialibus, & quod omnes formæ substantiales partium essentialium mundi in principio creationis productæ sunt: & hoc sacra Scriptura ostendit, quæ cælum, & terram, & aquam in principio commemorat: & hoc etiam Magister dicere videtur, ponens in illa informi materia hoc terreum elementum in medio consistere, & aquas rariore fuisse in modum nebulae supra extensas. Sed dico, quod virtutes activæ, & passivæ nondum in principio partibus mundi collatæ fuerant, secundum quas postmodum distingui, & ordinari dicuntur. Et hoc esse possibile patet, si sustinere volumus opinionem Avicennæ, qui (Metaph. suæ tract. II. cap. 11.) ponit elementa in mixto remanere

(1) Forte diversa fati sunt.

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Cuius auctor dicitur Avicenna, sed ad manum hic liber non est.